

- a) v. B. Roetenbeccii Log. Q. 220, ubi Arriaga in disp. Metaph. consentiens, Voetius autem in Philos. Reform. dissentiens citantur.
- b) unde definitiones pragmaticas petendas esse, ipse Dn. Wolffius in Annotationibus ad Responsum Buddeanum p. 42. docet.
- c) adhuc possibile in mera negatione & non-repugnantia consistit, ad solas compositas ideas quadrat, ratio est, quam Logica Crosiana pluribus explicat Part. I. Sect. II. C. 1. §. 9. hæc observatio eo magis est necessaria, quo minus in Philosophia Wolffiana relationum indoles et discrimen observantur. conf. Jac. Thomasi Dilucidationes Stahlianæ, Thesaurus Historiæ Metaphysicæ, ad Regul. Essentiæ rerum sunt æternæ, p. 49. n. 69. sqq. ubi probat, Scholasticos plerosque, quod Ens & possibile in eundem censum conjecerunt, in eo vehementer & ἀφιλοσοφως abusos esse tum Entis, tum Possibilis vocabulo, quod ab æquivocis non sit abstrahendum; ens autem potentiale æquivoce Ens est, siquidem potentiale qua tale terminus est alienans, seu id, quod præcedit, negans: sicuti potentia dives revera est non-dives: unde concludit novum incommodum, quod Dens, ens infinitum & incomparabiliter excellens una eum non-entibus quibusdam in eandem abstractionem detrudatur: evolvi etiam meretur n. 96. p. 63. & sqq.

§. X.

Cum possibilitate hac cohæret differentia essentiæ atque existentia eousque extensa, ut hæc sola a voluntate divina, illa ab intellectu divino antecedenter ad omne decretum derivari, atque necessaria & æterna statui debeat.

v. Ratio Prælect. Wolff. Metaph. §. 9. 10.

§. XI.

Non nego, essentiã sine existentia cogitari posse; sed talis essentiã est ficta, atque ab Ontologiæ scopo aliena a): existentia autem sine essentiã nominari, cogitari non potest b).

a) per §. IX.

b) Si enim sine omni essentiã de sola existentia rei cujusdam cogitarem, nescirem an Dei, an Centauri existentiam quæram? Ceterum Scholastici multum disputarunt, an & quomodo, imprimis an realiter differant essentiã & existentia? Plerosque negare, Thomam diserte affirmare, Scoto distingui distinctione sua formali ex natura rei, observat Ant. Goudin in Philosophia Thomistica P. IV. p. 208. sqq. edit. Colon. 1704. Jac. Thomasi Dilucid. Stahl. p. 33. Nominalium, inquit, sententia, quod essentiã rerum minime sint æternæ, plane nihil habet difficultatis, tantum si observes; quod ipsi firmissimis argumentis demonstrant, essentiã illas rerum ab earundem existentis realiter non differre. Quod autem nihilominus æternitatem  
 „essen.